

His plantis mente abstrahitur, res autem ipsa in naturâ formis-  
liter non datur. Sic quodvis brutorum animam habet vegeta-  
tivam & sensitivam, quæ tamen utraqve generica, non specifi-  
ca forma est. Suam habet animam equus, suam canis, suam  
leo. Hæ sunt distinctæ formæ specificæ, quæ distinctis istis bru-  
tis distinctas dant essentias, potentias & operationes. Con-  
veniunt quidem brutâ quælibet in pluribus, vivunt enim, nu-  
triantur, augentur, vident, audiunt, & plura ejusmodi præ-  
stant distincta illa animalia, hinc ipsis & vegetativa & sensitiva  
anima tribuitur, specie tamen inter se differunt. Brutum enim  
genus est, non species. Formam ergò, quâ brutum est, habet  
genericam, non specificam. Hinc alia adhuc forma canis, alia  
equi, alia cæterorum. Prosequitur hæc *B. D. Sennertus in Eri-  
tom. Natur. l. 6. c. 3.* eruditissimè ita scribens: Hoc primum  
monendum, multos in eâ esse sententiâ, plantarum omnes spe-  
cies, præter vim vegetantem, quæ totius generis communis,  
nullam amplius facultatem habere, sed finibus tantum quibus-  
dam propriis genus idem restringi ad suæ speciei propriam  
vim. In animalibus item brutis, nullam præter vegetantem &  
sentientem animam requiri, sed eandem animam finibus qui-  
busdam propriis suæ speciei determinari: In solo homine ad  
vegetantem & sentientem decedere animam rationalem. Ve-  
rùm falsa est hæc sententia. Si enim haberet ita, nulla revera  
in plantis & animalibus daretur specifica differentia, neque ro-  
sa à quercu, aut mus à leone, nisi accidentibus quibusdam dif-  
ferret. Verum ita statuendum est, solam animam vegetantem  
nullam plantæ speciem constituere, sed vegetans saltem seu  
genus plantæ; nec animam sentientem bruti aliquam speci-  
em, sed saltem animal, quod est genus brutorum & hominum.  
Plantarum verò & animalium species specificis formis, rosam  
nimirum à quercu, abietem à violâ, canem à lupo, lupum à leo-  
ne & homine differre. Et à formarum hac differentiâ diversi-  
tas actionum provenit, ut inter animalia alia aliis ingeniosio-  
ra sint. Quod ipsum de plantis & brutis hætenus asseritum,  
quo minus etiam de homine asseramus, nihil omninò obstat.  
Eadem enim hominis anima, juxta *B. Sperlingium*, ob conveni-  
entiam